



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri IIII.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt V. Incrementa Monasterij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

licet regnante, ex mediocri fortuna statu, eam in amplitudinem res Fuldensis excreuit, vt structurâ nouâ basilicæ & officinarum, ac magnitudine vectigalium cetera, quàm latè Germania patet, hoc longè multùm monasteria superaret.

Carolus Magnus in Fuld. monast. munificus.

Est verò causa non vna, cur Carolomanni principis religiosissimi beatorum cineres honorificâ recordatione, cum Volaterrano prosequi, sit animus; qui monte Cassino recens ab suâ ætate, ossa S. Benedicti, à Cardinale Arragoniensi, multis videntibus resecta, narrans, tres ait illic extitisse arcas; in quarum primâ & alterâ S. Benedictus & soror Scholastica; in tertiâ, scilicet ad pedes amborum, Carolomannus quieuerit, Martelli F. Caroli Magni patruus, qui monachus tantâ in S. Benedicti disciplinam fuerit obseruantia, vt^a Abbatibus iussu, b greges eius loci pasceret^c. Quapropter iure quoque connumeratus sit inter Beatos.

Anthropolog. lib. 10 in Benedicto.

B. Carolomanni sepultura & inuentio.

^a Petronacis. ^b Immo sedulus minister coco vaspulas adesset, vt Reginonis Chron. ad an. 746.

^c Claudianum quem humeris sublarum stabulo redderet, ex Cassin. Annal. Plat. lib. 2. c. 26. Nauclet. generat. 25.

Monasterij Fuldensis modica initia.

Sur. 28. Septemb. c. 20. S. Willibaldus in vitâ S. Bonifacij Tom. 4. lection. anuq.

CAPVT V.

Incrementa Monasterij.

FALLVNTVR, qui repentinum huic loco dant profectum, eaque fastigia Carolomanno Pipinoque regibus monasterio nascenti imponunt, quæ præter regalis munificentie commendationem, speciem operis habent consummati. At longè verò secus ea res cecidit: nam siue locorum sterilitate, siue hominum quos adunabat, multitudine obrutus Bonifacius, ita monasterium inter initia, sicut diximus, instruxit; vt in modicis tectis, victuque ærumnoso, cœnobitis ad votiue paupertatis experimentum esset abundè. Primum purgando ad culturam solo, & succidendo nemore plurimum laboris exhaustum. Victum inde factitarunt domesticâ contentione, pastu pecorum, agrorum cultu, manuum labore, monachi. Nam, etsi quod fundorum, pascuorum, nemorum, riuorumque possidebant esset affatim, cogi tamen ab his potius fructum, quàm exorari, nec vbertim ilicò prouenire, vulgò cernimus. Vnde tanto origini propinquior Rudolphus Willibaldi narrationem secutus in vitâ Liobæ, disertis verbis, vbi Bonifacium ad martyrium properantem inducit Lullo successori Moguntie suodantem

C 2

dantem

Broueri
Antiquitate
Fuldenses.
STV
9

dantem suprema mandata, de templis locisque sacris, passim ab se inchoatis, sigillatim addit mandasse de monasterio Fuldensi, quod auctoritate Zachariae Papae & favore Carolomanni regis Austrasiae, in vastissimâ solitudine saltus Boconiae ipse construxerat: ut, quia monachi locum illum inhabitantes pauperes erant, & necdum alia habebant seruitia, sed solo manuum suarum labore victitabant, aedificium fundatae tum ibi ecclesiae ad perfectionis terminum deduceret, atque post mortem suam corpus eius illic sepeliendum transferret.

Hinc adeo mos apud posteros etiam perstitit; ut quando iam, quaesitis facultatibus, monastice vigeat, Carolo Magno Imperatore cenobitae operis illis omnibus praesent, quibus frugi familia sustentari solet. Extat eâ de re caput xvi. supplicis libelli, quem Carolo Magno porrectum in monasterij turbellâ, iam publicamus. Eo in capite damnatâ seruatorum improbitate, rei familiaris procurationem, ceteraque domestica munia, quamuis vilia, ipsi sibi deposcunt vltro cenobitae. Apparet igitur regiam munificentiam domesticâ frugalitate & religiosâ parsimoniâ non magis subleuatam, quam ad summum adductam: siue enim multitudinem hinc diuino se cultui addicentium, siue fortunarum accessiones attenderes, breuî vsque eò vtraque auxit & euexit religio, ut inter ipsa primordia, mole suâ, noua congregatio laboraret. Quippe Bonifacio post martyrium huc translato, & sepulcro nobili ei erecto, Sturmii Abbas, ipsius ut superstitis ductu, sic mortui suffragatione, progressus habuit longè felicissimos. Regum namque gratiâ, & amore apud suos, vitæ sanctimoniâ sibi conciliato, res vtiq. maximas breuî perfecit. Primùm itaque à Pipinio donata praedia, ab Dagaleichi potentis viri iniuriis vindicauit, publico procerum conuentu, quem Carolus Magnus villâ Longario coegerat. Inde v. l. anno regni Magni Caroli, in Durâ palatio, ab eodem rege consecutus est, ut is in Sturmii & S. Bonifacij gratiam, villas ac praedia, quae vel in praesens vel in posterum possessurus esset, à iudicibus & caussarum pensitationumque cunctis oneribus absolueret, maiorum ei priuilegia stabiliret, homines eius loci, seu ingenuos, seu seruos, qui intra agros, fines, terras inchoatae ecclesiae commorarentur, vniuersos ipsi, successoribusque subiceret. Hinc ipse, prouidâ œconomiae curâ, memor disciplinae

Cassi-

Progressus.

*Dagaleichus
Fuldens. mo-
nasterio ini-
quus.
Longarium
villa.
Dura pala-
tium, quod
Marcodurû.*

*Incola Bu-
chonia, Fuld.
monasterio
mancipatur.
M^s. dona-
tiones.*

Cassinensis, omnia ad victum cultumque necessaria ritè atque ordine constituit, eamque monasticæ normam ac viuendi rationem inuexit, vt famâ disciplinæ sanè quàm florentissimæ permoti exteri viciniq̃ue, certatim huc pietatis amore confluerent; spretisq̃ue, quæ apud mortales prima sunt, monachorum institutum ipsi, liberiq̃ue sanctè profiterentur. Præclarum huius rei S. Ludgerus edit in B. Gregorij sui magistri virâ testimonium: *Sturmi Abbas, inquit, hoc meruit privilegium à Deo, & sancto magistro, præ ceteris condiscipulis suis, vt ipsum locum, quem magister sanctus elegit ad sepulturam corpori suo, possidere mereretur, & initiare: ac sanctum corpus eius martyrizatum in eodem suscipere: & in tantum prouehere, & glorificare eundem locum, vt ante obitum suum de hoc mundo, quadringentorum circiter monachorum, exceptis pulsantibus, & aliis minoribus personis, quorum numerus multiplex erat valde, in ipso monasterio, posito iuxta fluuium Fulda, pater extiterit & præceptor. Nec prudentiam eius œconomicam siluere discipuli, in supplici, quem dixi, libello; vbi capite decimo postulant, vt victum & vestitum sicut maiores constituerunt, habere liceat; quia primus Abbas, inquit, noster Sturmi in monasterio S. Benedicti per annum conuersans, huc postea rediens, secundum electionem S. Bonifacij, habitum eorum & victum diiudicantis, nobis istum constituit, cuius rei plures adhuc testes supersunt. O felix votum, & tali voto felicior congregatio, quæ primigeniæ puritatis appetens, fontis illibati sitiit originem! ad quam vti nam hæc instituta sæculo nostro perueniant, saltem vel aspi- rent, optimè iam cum iis quidem agatur. Interea Sturmi in longum prospiciens, cum vndique egregiæ indolis adolescentes in cœtum suum adsciscit, tum ex Noricâ prouinciâ Aegilem consanguineum, magnorum operum & præclari olim exempli futurum Abbatem, in disciplinam cooptauit; cuius amabilem iuuentam Candidus monachus Fuldensis attigit: *Vir venerabilis Sturmi, ait, cognatus eius, de quo loquimur, eo tempore turbam monachorum, dignis conuersationibus, regere videbatur. Huic nimirum adhuc puerulus Aegil de patria transportatus, & honorificè à parentibus presentatus est; quem paternâ pietate & blanditiis delinitum, scholæ congregationi, vbi lex diuina iugi exercitatione discitur & docetur, sociari voluit. Id quod versibus alibi expressit:**

*Monasteriū
crefcit cœno-
bitarum nu-
mero, & ab-
dicantium
concurſu.*

MS. Fuld.

*Quadringē-
ti monachi.*

*Sturmi Ab-
batis œcono-
mia.*

*Cura in mo-
nasticis alū-
nis educan-
dis.*

*Aegil stirpe
Noricâ ex
B. Sturmi-
nis genere à
teneris educi-
tur Fulda.*

Broweri

Antiquitate
Fuldenses.

STV

9

blandiloquo Sturmi quem murmure visum

Suscepit: latisque suis complectitur vlnis;

Ac iuueni consanguineo dat basia pastor.

*S. Sturmi
gubernatio
suauis.*

Hoc igitur habitu animi, & morum suauitate Sturmi, tenellum adhuc Christi gregem complexus; dictu incredibile est, quam facili hac & benignâ gubernandi ratione, morumque eximio candore, omnium ordinum homines sibi monasterioque Fuldensi deuinxerit; ut iam per crebras adeuntium coitiones non fama solum loci increbesceret, sed cresceret quoque, S. Bonifacio miraculis emicanti oblati muneribus, pristina piorum liberalitas.

CAPVT VI.

Structurarum inchoata opera.

*Cic. de per-
fecto Orato-
re.
Lib. 7. de lin-
guâ Latinâ.*

*Fuldensis
structura
gradus.*

*Loci situs &
natura ubi
cõditum mo-
nasterium.*

QUOD in ædificiorum distributione, prisca homines natura duce, factitabant; idem hinc apparet usu venisse maioribus: qui in operum suorum molitione, seriem eam ædificando secuti sunt, ut primùm necessitati, mox oportunitati, postremò ornatui & decoro seruisse, videri vellent. Quas scilicet naturæ metas, Varro duplici summâ, vtilitatis & elegantiae, complexus est. Non enim domum habere volunt homines, ut sint in tecto & tuto solum, sed etiam ut voluptas retineri possit; quòd aliud homini, aliud humanitati, satis esse putetur. Ad eum modum, quæ S. Bonifacius ruditer tecta condidit, siue sacra, siue domesticis vsibus aliis destinata, hæc Sturmi primum Abbatem meliora fecisse, & commoditatibus additis, expoliisse constat; Rhatarium onerasse, & impensis quoque immodicis mersisse: Ægilem verò Sturmi consanguineum, summo decoro & magnificentiam sustulisse & consummasse. Regio interim à S. Bonifacio sociisque conditoribus, capta probatissimi salubrisque cæli; seu solis adspæctum, seu flatus ventorum, seu alias oportunitates spectares. Nam, & apertum Occidentis latus, & Septemtrionaria plaga, probatis Aquilonum flabris vegetantur; & noxium Austrum excludit collis obiectus; alibi, mollibus agitationibus auræ discussæ minimè torpens,